



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Theodora Poenitens. 11. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

inundatur, **EUPHROSYNVM** nostrum videt non jam ignobilis terræ colonum: Atque ut ne somnum crederet somniūmve, accipit ab eo laudata à nobis poma, quæ vel odore suavissimo patriam suam loquerentur. Interea are campano ad preces matutinas vocante sibi redditur Sacerdos, & dum ad templum properat, involuta pallio poma reperit: mox ubi eadem omnia ex **EUPHROSYNNO** intelligit, Ascetis munera portentosa & in his virtutem **EUPHROSYNNI** prædicat. Et nobiles quidem illi fructus fructus alios quotidie miracula proferebant, at **EUPHROSYNVS** proditus fugâ se subduxit. Et quo ais fugit ille? Nempe si sic illi Paradisus patebat, gratis jam quaris. *Ex Men. Græcis.*

S. THEODORA POENITENS.

11. Septembris.

Vtrum an foeminam spectasse te, lector autumas? utrumque, si mihi credis. Nam foemina, puto, fuit **THEODORA**, cum lapsa est, vir, cum surrexit. Id te vita docebit. Tenebat illa matronas inter Alexandriae principem locum. Sed ex hoc lena eademque venefica turpiter deiecit, cum quæ Sol occidens non spectat scelera impune perpetrari suasit, itaque adulterium persuasit: ac si unum solummodo

modo cælum oculum haberet & mediâ etiam in nocte Argus non esset. Vidit ipsa THEODORA crimen, cum primùm lux animo aborta est, & quò ruborem absconderet, cœnobio se abdidit, utque viros effugeret, inter viros virum se venditavit. Et jam lacrymas, quibus facinus piabat, vel Crocodilus probaverat, dum dorso innoxiam per fluctus tulit; jam silvæ, per quas invidi monachi intempestâ nocte miserant à feris devorandam, virum & ipsa crediderant; cum loco pellere Dæmon malus aggressus, non quidem virum negavit THEODORAM, sed tamen infamæ mulierculæ operâ patrem mentitus est. Poterat se ipsam absolvere THEODORA sexum fatendo, sed maluit suum sub alieno scelere scelus luere. Itaque pulsa cum infante septem ipsos annos propter Monasterii fores jacuit cæli hominumque injuriis exposita. Denique cætera miracula, & morientis apud cælites gloria Cœnobiarchæ ostensa, adductusque eodẽ temporis articulo maritus, mors ipsa denique palàm orbi fecerunt feminam fuisse THEODORAM, sed quam viri imitarentur. *Ex Metaphrasi.*